



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

LIII. Markgraf Woldemar vereignet dem Kloster Chorin das Dorf Hertzprung, am 26. März 1318.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

nunciantes omni juri, quod in predictis bonis dinoscimur habuisse, ita plane, quod nec nos nec aliquis heredum nostrorum, si quos deo dante procreauerimus, nec aliquis aduocatorum, scultetorum, bodellorum seu aliquorum aliorum officialium nostrorum aliquam iurisdictionem sibi in eisdem bonis audeat usurpare, sed ipsi fratres per se suosque iudices sua iudicia exerceant maiora etiam et minora et ab omni exactione, precaria et seruitio sint exempti. Testes quoque sunt nostri fideles Henningus de Blankenborch, Gryfeko, Thidericus de Kerkoue, Henricus de Stegheliez, Slotheko, Heindenricus de Benz, Heineko de Aluensleue, milites, Euerardus, Stolpenfis prepositus, Hermannus de Luchoue, Ghero, plebanus de Konyngesberg et multi fidei testimonio sufficienter decorati. Actum et Datum in ciuitate nostra Templyn, anno dominice incarnationis Millesimo CCC<sup>o</sup>. septimo decimo, die beate Cecilie virginis et martyris.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Serfens Cod. II, 455.

LIII. Markgraf Woldemar verzeignet dem Kloster Chorin das Dorf Hertisprung, am 26. März 1318.

In nomine Domini Amen. Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lufatie Marchio, uniuersis cristi fidelibus presentes litteras visuris noticiam subscriptorum. Ne acta hominum, que fiunt in tempore, cum lapsu temporis dilabantur, sed ut perpetuam habere valeant firmitatem, scripturarum solent testimonio roborari. Quapropter nos cupimus esse notum tam presentibus quam posteris cristi fidelibus uniuersis, quod ecclesie sancte Marie virginis in Chorin Cysterciensis ordinis et fratribus ibidem Deo famulantibus proprietatem ville Hertisprung et honorum omnium, que ipsi ville adjacent, cum terminis et omnibus attinentiis suis, scilicet siluis, lignis, nemoribus, paludibus, stagnis, fluuiis et lacubus, riuis, pratis et pascuis, agris cultis et incultis ac ceteris utilitatibus ex hiis prouenientibus dedimus, vendidimus, vendimus et donamus. Renunciantes omni juri, quod in predictis bonis dinoscimur habuisse, ita plane, quod nec nos nec aliquis heredum nostrorum, si quos dante Deo procreauerimus nec aliquis Aduocatorum, scultetorum, bodellorum seu aliquorum officialium nostrorum aliquam iurisdictionem sibi in eisdem bonis audeat usurpare, sed ipsi fratres per se suosque iudices sua iudicia exerceant maiora etiam et minora et ab omni exactione, precaria et seruitio sint exempti. Pro premissa nostra donatione et venditione dicte ecclesie Abbas et fratres nobis satisfecerunt plenarie pro nostre arbitrio voluntatis. Hujus rei testes sunt Droyseco, nostre curie dapifer, Conradus et Redeko de Reder, Johannes de Cröchern, Zabella de Badelo, Thidericus de Kerkoue, Henricus de Rochou, Borchardus et Gunzelinus de Berthensleue, milites, Euerardus, Stolpenfis, et Thidemannus, Granzoeyensis prepositi, nostri Capellani, et alii fide digni. In cuius rei testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum. Datum Spandowe, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. decimo octauo, in crastino annunciationis sancte Marie.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Serfens Cod. II, 456.